



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helgestadi[i], 1671

Cap. XX. Item de Nicolao haeretico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

rens, nec aliter posse unumquemque angelos seculi vincere, nisi prius à se Magicæ artis susciperet disciplinam, & quod per baptisma à se datum quisque sic immortalis, & æternus effectus, in hac vita fieret perpetuus.

CAP. XVII.

De Hebionitis hæreticis.

Hujus quoque discipuli *Ebionitæ*, licet alterius sectæ, multos decipiunt, dicentes: Christum purum hominem esse, & communi nativitate ex viro & foemina procreatum: cæremonias adhuc legis custodientes.

CAP. XVIII.

De hæresi Cerinthi.

Sed & *Cerinthus* hæreticus nova introducit dogmata, scilicet: terrenum fore regnum Christi in Hierusalem, & interim homines vitiis & concupiscentiis esse subijciendos, & nuptiarum festivitates affuturas: ad eos facile decipiendos, qui sunt dediti libidini.

CAP. XIX.

De hæresi Nicolaitarum.

Surrexit præterea & alia hæresis, quæ appellatur *Nicolai*, illorum quæ à Nicolao, uno de septem Diacombus, cum Stephano ordinatis, se jactavit.

CAP. XX.

Item de Nicolao hæretico.

Hic autem Nicolaus, pulchram habens uxorem,
cum

cum post Ascensionem Domini ab Apostolis increparetur de Zelotypia, injuria lacesitus, produxit illam in medium, & si quis eam habere vellet, libere permisit. Ex qua occasione isti consequens esse putaverunt, ut secundum hoc factum vel dictum Nicolai, carne sua, in quo delectaretur, abuteretur unusquisque. Vnde & nunc qui sectam propriae libidinis assumunt, sub illius nomine promiscuos & illicitos expetunt concubitus. *Clemens.*

CAP. XXI.

De eodem.

Mihi autem compertum est, *Nicolaum* nullam proffus cognovisse uxorem, praeter eam, quam matrimonio sibi conjunxerat: cujus certe liberi, feminae quidem, usque ad ultimam senectutem caste perduraverunt: Filius autem ipse sanctitatem incorrupti corporis custodivit. Vnde constat, quod ex contemptu libidinis vel vitii magis produxerit uxorem, & liberam abire permiserit, quam aliis quibuscunque abutendam exposuerit. Sed, ut ad inceptum revertamur; sciendum, praedictas haereses cito confopitas fuisse, maxime per scripta & praedicationem beati *Ioannis*; qui, post longa magna continentiae & sobrietatis tempora, post insignem Evangelii praedicationem, post incredibiles signorum virtutes, tandem effodi sibi jubet sepulchrum. Qui etiam martyr & doctor apud Ephesum dormit, completa bona & venerabili senectute nonaginta annorum & octo; in cujus laudabili fine & nos tertium volumen finiamus.

E

D.HAY-